DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITÈ ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES RAINES LUCAS,

VIRGINIENSIS.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

———— *crudelis ubique*
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
VIRG. *Æn.* II. v. 368.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

GULIELMO BASKERVILL,

ARMIGERO,

DE *LUCO LOMBARDY*,

MECKLENBURG,

VIRGINIA,

S. P. D.

JOANNES R. LUCAS.

GAUDEO, VIR DIGNISSIME, mihi curriculum academicum jam conficienti, occasionem tandem oblatam esse, quanti TE facio palàm profitendi, quam si non lubentissimè arriperam, ut virtutes tuas et innumera beneficia, quibus tibi devinctus sum, prædicarem, ingrati animi crimine meritò argueretur. Cùm enim sors iniqua me PATRE semper deflendo orbatus esset, TU amicissimè adfuisti, et me studio et amore verè paterno prosecutus es. Hasce igitur studiorum primitias, animi beneficiorum semper memoris, tenue pignus, æquo animo accipias, quæso.

Diu nobis intersis, omnibus his virtutibus publicis et privatis ornatus, quæ TE amicis carum et acceptum reddunt.

ISAACO HALL, M. D.

DE *PETERSBURG*,

VIRGINIA.

HÆC paucula, VIR SPECTATISSIME, maculis utcunque fœtida, quas benignitas tua facilè condonabit, amicitiæ haud immemor, TIBI dicare vellem : sub tuis enim auspiciis, medicinæ, ad summos cujus honores jure evectus es, primùm incubui, et me summâ virtutum et doctrinæ, tuæ observantiâ teneri, hoc exiguum testimonium sine te persuadeat.

JOANNES R. LUCAS.

JOANNI R. ARCHER, M. D.

DE *AMELIA*,

VIRGINIA.

BENIGNUM hospitium, VIR AMICISSIME, nunquam obliviscendum quo me ad tuas sedes advenam excipiebas, ut hocce opusculum, animi propter urbanitatem, ingenium et virtutes, tibi devinctissimi pignus, consecrarem me impulit.

JOANNES R. LUCAS.

Sic ut quimus, quando ut volumus non licet.

TER. *AND.*

To Dr Ogilvy with the best wishes from the Author.

DISSERTATIO

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

DUÆ sunt Hydrocephali species quibus patet genus humanum, *Acuta*, nempè, et *Chronica*; de priore quorum solummodò in hocce opusculo disceptare consilium est.

Hunc morbum antiquos omninò latuisse colligere fas est: eos forsan quos hic morbus abstulit, febre comate stipatâ interire falsò credebant, et sanè in hujusmodi exemplis causam mali ferro raró perscrutârunt; hinc naturam

ejus veram penitùs ignorabant. Ex ætate qua floruit HIPPOCRATES, auctores diversi, diversis temporibus, de aqua in variis partibus intra cranium collecta mentionem fecêre; descriptio autem tam manca est et imperfecta, ut nil certi de natura morbi quo implicitus fuerit æger, exinde eruere possumus.

Chirurgus Glascuensis * primùm, quantùm scio, hunc morbum ab aliis accuratè segregavit; et post eum Professor hujus Academiæ clarus † tractatum edidit, in quo omnia ejus signa plenè et luculenter tradita fuêre, et morbida quoque quæ ei cadavera hoc morbo peremptorum accuratissimè scrutanti apparuerunt, optimè enarrantur.

Ex hoc tempore varii de hoc proposito tractatus in lucem prolata fuêre ‡, qui perspicuè

---

* PAISLEY.

† WHYTT, "Observations on Dropsy of the "Brain."

‡ Doctoribus FOTHERGILL, QUIN et RUSH.

conscripti, morbi naturam et causas haud parùm illustrârunt, et summam medicorum attentionem meritò exposcunt.

DEFINITIO.

Cullenus, ingenio et scientiâ percelebris, sequentem hujus morbi definitionem protulit, quem ad Classem *Neuroses*, et ordinem *Comata*, relegavit: " Apoplexia (hydrocephalica) paulatim adoriens, infantes et impuberes, primùm lassitudine, febriculâ, et dolore capitis, dein pulsu tardiore, pupillæ dilatatione, et somnolentiâ afficiens *".

In hac definitione quædam notatu digna prætermissa sunt; et Doctor Gregory eam hoc modo accuratiorem reddidit: " Apoplexia paulatim adoriens, infantes et impuberes plerumque, primùm lassitudine, febriculâ, et do-

* Cullen. Synops. Nosol. Method. gen. xlii, spec. 3.

lore capitis, dein pulsu tardiore tandem frequentissimo, pupillæ dilatatione, et somnolentiâ, afficiens*." Hæc definitio illi CULLENO traditæ præstat, quippè morbus infantes non solùm adoritur, nonnunquam enim adultos petit; et denique pulsui tardiori, qui in secundo morbi stadio adest, pulsus admodum frequens semper supervenire observatur.

Medici quidam, naturâ et signis hujus mali probè perpensis, nomen ejus mutare, et ad aliam classem referre voluerunt: Doctor RUSH huic sententiæ suffragatur, et eum *Phreniculam* appellare consuevit; et Professor † hujus Academiæ eruditus, nomen *Phrenitis lentæ* meliùs convenire, et morbum ad classem Pyrexiæ, et ordinem Phlegmasiarum, relegari debere, opinatus est. Nec desunt multa argumenta, et satis valida, quæ animum in hanc sententiam abire fortiter suadent: Pyrexia enim ab initio semper adest, et per totum ma-

---

* Audi GREGORII Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edinen.

† Doctor DUNCAN.

li decursum perstat; alia quoque cerebri inflammatione correpti indicia urgent, et signa apoplexiæ quæ tandem sese ostendunt, ex inflammatione prægressa facilè repetenda sunt. Utcunque autem hoc erit, nomine consueto retento, hæc obiter notâsse sat duxi.

HISTORIA.

MEDICI de initio hydrocephali, et de tempore per quod durare solet, haud parùm discrepant. Doctor WHYTT affirmat, morbum gradatim formari, et cùm ritè formatus fuerit, ex quatuor ad sex septimanas durare, et in nonnullis exemplis multò longiùs protrahi. Medicus alius *, non minùs inclytus, infantes optimâ valetudine fruentes, hoc morbo subitò corripi, et quatuordecim dierum spatio obire, se vidisse testatur; affirmat quoque, se morbi originem ultra dies viginti et unum rarò

* FOTHERGILL, Oper.

repetere potuisse: observandum quoque est, in plerisque exemplis, hoc morbo laborantium, quos hic medicus conspeciebat, ægros quintum ætatis annum attigisse; nonnullos ultra decem annos natos fuisse, et duo fuisse exempla in quibus ægri annum ætatis septimum, et decimum vel undevigesimum, agebant. Auctor ingeniosus utrasque has sententias, utcunque primo aspectu contrarias, bono fundamento nihilominùs inniti posse monet, prout morbus infantes vel ætate maturiores adortus fuerit. "Now, as the duration of the disease, arising from the action of an increased portion of fluids within the head, must in some sort depend on the state of the cranium and its sutures; it is by no means extraordinary, that, in very young subjects, the progress of it is more gradual, and the symptoms not so immediately conspicuous, as in those of great firmness of bone, and strength of constitution *." Infantes autem sæpè tam leviter ægrotant, ut morbus diu antè subesse potest, quàm ani-

* Quin, "Treatise on Dropsy of the Brain."

madvertitur, ita ut æger citiùs quàm etiam Fothergill memorat, periisse videatur.

Auctores medici hunc morbum in tria stadia vulgò dirimunt, quæ nunc ordine sunt perpendenda.

Stadium primum.—Ab initio hujus mali æger languidus est, motus aversatur, et animo angitur: subinde autem bono est animo, et secundâ valetudine frui videtur; cibi appetentia imminuitur, facies pallida est, corpus marcescit, et pulsus frequentiores fiunt, cum febricula, quæ nunc, statis intervallis, nunc tempore incerto, redire solet; et paroxysmi sub vespere plerumque accedunt: cutis arida est, et præter solitum calet.

Dum febris perstat vel ingravescit, cibi appetentia magis imminuta est: Lingua albida apparet, nonnunquam autem nitida est, et versus finem morbi aphthis quasi obsidetur: Sitis nunc urget, et æger de nausea conqueritur; cui brevi vomitus supervenit, qui nunc

semel vel sæpiùs quotidie, nunc semel tantùm duorum triumve dierum spatio, molestus est: circa hoc tempus de dolore frontis conqueruntur, qui supra orbitos vel in vertice sedem habet. Nonnunquam unum capitis latus solummodò laborat, et in hujusmodi casibus caput ad latus affectum propendet, dum æger in positura corporis erecta manet *. Capitis dolor et vomitus ægrum vicissim sæpè affligunt; hoc enim urgente, dolor capitis remittit, et contrarium.

Alvus ferè ita compressa manet, ut non facilè catharticis etiam fortioribus moveatur, et medicus usu artis versatus † hoc signum morbo proprium esse voluit; etsi est ubi diarrhœa cum alvo astricta vices mutat. Aliæ quoque corporis partes dolent; tormina enim intestinorum, et partium extremarum dolores, sæpè adsunt: dolor autem nuchæ vel partibus in-

* Quin, "Treatise on Dropsy of the Brain."

† Fothergill, Oper.

ter scapulas sæpiùs affixus est, et in his exemplis caput minùs ægrotat. Æger nunc lectum ferè appetit, etsi raró somnum capit; nares vellicat, et frendet dentibus: Oculi quoque lumen refugiunt.

Stadium secundum supervenire dicitur, cùm pulsus, anteà frequens et regularis, tardus et irregularis evadit; in hoc enim morbi gradu, pulsus uon solùm minùs frequens fit, sed infra normam sanitati congruam descendit; et notatu dignum est, ictus arteriarum, et vi et intervallis quibus perficiuntur, tunc fieri inæquales: Quò frequentiores autem sunt, eò magis ordinatè micant. Observandum quoque est, etsi pulsus mirè tardescunt, calorem corporis minimè pro rata imminui, sed potiùs adaugeri; pleraque signa quæ in primo stadio adfuerunt, in hoc quoque perstant: Æger nunc posituram erectam tenere nequit, parùm dormit, et ploratus sæpè edit: Oculi nunc nares versus contorquentur, et visus duplex nonnunquam adest. Circa finem hujus stadii, mens in nonnullis alienatur, et ægri sæpè ex-

clamant, quasi subito horrore perculsi. Circa idem quoque tempus, aliquid simile, vel etiam vermes ipsæ, dejiciuntur, nullo autem cum morbi levamine; et sæpè minùs exercitatis de natura morbi errandi causam præbeat. Urina in hoc, et aliis hydrocephali stadiis, multùm variat; nunc nullum sedimentum deponit; sæpiùs autem aliquid coloris subalbidi ad vasis fundum decidit. Anima ægrotantis odorem fœtidum et ingratum emittit.

In primo et secundo hujus mali stadio, signa sæpè per unum alterumve diem ita mitescunt, ut medici minùs cauti morbum omninò esse abiturum crederent; signa autem brevi recrudescere solent, et quàm inanem hujusmodi spem fuisse satis docent.

Tertium stadium mutatione, quam pulsus iterum subit, insignitur, qui nunc citatior et regularis evadit: hoc plerumque ex quinque ad decem dies ante mortem evenit: tempus quo hæc pulsûs mutatio incipit in diversis

ægris multùm differt, et in nonnullis exemplis gradatim frequentior fit; dum in aliis, insolitam et vix credibilem frequentiam citissimè adipiscitur: minimè autem stabilis manet; ictus enim arteriarùm nunc plures nunc pauciores numerantur. Cùm ad extremum perventum est, pulsum esse frequentiorem quàm ullo alio morbi tempore Doctor WHYTT affirmat; et se nunquam cognovisse exemplum ægri qui huic malo succubuit, antequam ictus ad centum et triginta in minuto horæ ascenderant, dixit.

In hoc morbi statu æger, in somnum anteà parùm proclivis, sopore obruitur. Coma interdum circa finem stadii secundi obrepit, aliàs tertii initium comitatur. Æger nunc omninò obstupescit, et si a comate excitatur, aliena quædam indistinctè effutit: palpebræ sæpè paralysi correptæ apparent, et pupillæ unius vel utriusque oculi ampliata est, et luce etiam vividissimâ admotâ immobilis manet: hoc signum ex duobus ad sex dies ante mortem plerumque conspicitur: ægri de si-

mulacris visu horrendis nonnunquam conqueruntur, et sæpè omninò cæci fiunt: manus ad caput haud rarò admovent; et musculi brachiorum, crurum, et faciei, convulsionibus sæpè corripiuntur: et in raris quibusdam exemplis, musculi faucium ita afficiuntur, ut vox per quædam minuta omninò deficiat*. Una gena sæpiùs in die incandefcit, dum altera pallida et frigida manet, et brachium ex uno latere rubere interdum observatur, dum alterum immutatum est†; sæpè quoque exigua sanguinis copia e naribus profunditur. Qui anteà alvum astrictam habuerunt, diarrhœæ nunc obnoxii fiunt, et torminibus intestinorum vexantur: deglutiendi facultas imminuta est, etsi cibum oblatum avidè nonnunquam devorant: respiratio crebra et difficilis evadit, suspirio quasi comitata‡; fæces et urina insciè elabuntur, et æger convulsus animam efflat.

---

* Whytt. "*On Dropsy of the Brain.*"

† Fothergill, Oper.

‡ Whytt.

Hæc usitata est facies quam hic morbus gravis et funestus exhibet, quantùm ex scriptis auctorum, qui maximè fidem merentur, colligere potui. Omnia autem hæc signa non in quovis exemplo inveniuntur, nec semper ordine jam depicto sese ostendunt. In quibusdam auditus ita acutus fuit, ut scintillæ ex igne provenientes covulsiones ferè inducerunt *: in aliis, cibi appetentia per totum mali decursum haud imminuta est. Neque pupilla ampliata luci insensilis, vomitus, delirium, vel strabismus, morbum semper comitantur; et unum exemplum memoriæ proditum est, ubi pulsus nunquam præter solitum tardus nec inæqualis fuit †. Aliud morbi exemplum observatum est, in quo facies speciem sanguinis infra cutem effusi ostendebat ‡; quod notatu eo dignius est, quippè morbum

* RUSH. " *Med. Inquir. and Obser.*" vol. ii.

† Ibid.

‡ Aud. GREGORII *Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.*

ex iis causis, quæ impetum sanguinis caput versus adaugeant, originem duxisse planè demonstrat. Hydrocephalus in hemiplegiam *, et in trismum †, nonnunquam desinit, quibus mors brevi ut plurimùm supervenit; et post mortem, in nonnullis casibus, brachia et pectus colore purpureo insigniuntur.

CADAVERUM SECTIO.

CEREBRO eorum qui ex hoc morbo periêrunt patefacto, ventriculi laterales fluido limpido, caloris subflavi, repleti vulgò reperiuntur: interdum aqua in uno ventriculo solo continetur, foramine quo communicant morbidè occluso; et nonnunquam in omnibus ventriculis effunditur: quantitas hujus fluidi, ex duabus ad quinque vel sex uncias plerumque variat. Dicitur quoque humorem nonnunquam

---

* RUSH. *loc. citat.*

† QUIN.

effundi inter superficiem cerebri et membranas quæ id investiunt; hujusmodi autem exempla rarò admodum sese ostendere crederem.

Medici de natura hujus laticis non omninò consentiunt. Whytt eum calore non cogi posse perhibet. Monro et Baillie * eum acidis coagulari invenerunt, lentiùs autem quàm fluidum in hydrope aliarum partium effusum.

In quibusdam casibus nil omninò effundi videtur: Vasa autem cerebri sanguine turgida fuêre, et substantiâ ejus incisâ plurima puncta rubra conspiciebantur, quæ, utraque naturam morbi et mortis causam, etsi nulla effusio facta est, satis indicant.

Tumores varii magnitudinis in cerebro sæpè deteguntur. Doctor Whytt, in uno exem-

---

* Monro. "*Treatise on the Brain.*" Baillie, "*Morbid Anatomy.*"

plo, tumorem in dextro thalamo nervorum opticorum positum, ovum pullinum magnitudine ferè adæquantem, reperit; color hujus subflavus, et structura firma fuit. Doctor GREGORY *, in nonnullis, quibus Hydrocephalus necem attulit, tumores in cerebello sitos, e magnitudine nucis avellanæ ad ovum pullini, vidit; alii tumores cerebrum et cerebellum comprimebant; et in uno exemplo, ubi morbus solito diutiùs perstiterit, tumores in suppurationem abiêrunt, et ferè dimidium cerebri occupaverunt. Tunica arachnoidea præter solitum crassa, crustâ inflammatoriâ obducta, et infra eam copia fluidi, quod calore cogi potuit, nervus olfactus solito amplior, substantiæ hydatidibus similes plexui choroideo adnexæ, et substantiâ cerebelli specie mutatâ, diversis temporibus in conspectum prodiêrunt; et pia mater admodum crassa interdum et opaca, duræ matri adhæret †.

---

* Audi GREGOR. *Prælect. de Med. Pract in Acad. Edin.*

† Doctor QUIN, "*Treatise,*" *Append.*

CAUSÆ.

De his, medici sententias admodum varias olim amplexi sunt; hodiè autem pauci sunt morbi quorum natura meliùs intellecta est; et causæ quædam ex quibus originem trahit, benè notæ sunt.

Whytt hunc morbum ad easdam causas, quæ hydropem vulgò concitant, referre solet; hinc laxa corporis compages, debilitas, obstructiones in diversis cerebri partibus, colluvies serosa sanguinis, evacuationes solitæ suppressæ, et injuriæ capiti in partu allatæ, inter causas hujus màli ab eo annumerantur; et certe Hydrocephali Chronici originem ex his causis repetere liceat. Si autem ad infantes vegetos et robustos, qui hydrocephalo acuto plectuntur, respicimus, si ad ejus signa, ad ea quæ cadavare secto in conspectum veniunt, et ad medendi rationem nunc institutam, animum advertamus, causas morbi ex jam dictis ad-

modum diversas petere, et eum ex iis quæ inflammationem cerebri et membranarum ejus movent, deducere cogimur: et sanè auctor celeberrimus *, hydrocephalum acutum ex morbida congestione sanguinis in vasis cerebri, quæ vulgò effusioni originem præbet, semper proficisci contendit; et alius medicus peritissimus, primum hujus morbi stadium ex iis causis quæ gradum leviorem istius inflammationis inducunt, quâ phrenitis stipatur; et secundum ejus stadium ex effusione ejusdem generis, ac quæ apoplexiam serosam in adultis ciet, oriri affirmat †.

Causæ, quæ morbum excitant, secundum opinionem de natura ejus hodiè passim receptam, nunc enumerandæ sunt. Huc præprimis spectant injuriæ ex lapsu vel ictu capiti allatæ, certæ corporis posituræ, exercitium nimis vehemens, quo sanguis nimiâ copiâ ad caput defertur. Sunt et aliæ causæ quæ minùs directè

---

* Doctor QUIN.

† RUSH, "*Med. Inquir. and Observat.*" vol. ii.

in cerebrum agunt: hujusmodi sunt febres intermittentes, remittentes et continui, rheumatismus, phthisis pulmonalis, et quædam exanthemata, ut variola, scarlatina, et rubeola. Morbis quoque sequentibus, colicæ, nimirum, paralysi, melancholiæ, dysenteriæ, dentitioni, insolationi, ulceribus vetustis subitò exsiccatis, et scrofulæ, supervenire observatur *. Nonnulli affirmant, labe scrofulosâ præditos in hunc morbum esse procliviores; aliquando quoque certas familias præsertim adoriri videtur, ita ut nonnulli morbum esse hæreditarium persuasum habuerunt. Mares præ fœminis huic morbo magis esse obnoxios dicitur, cujus exemplum insigne Doctore Quin memoratur.

In plerisque exemplis quæ curæ Doctoris Quin demandata fuêre, ægri mirâ alacritate et summo ingenii acumine insignes fuêre;

* Rush, loc. citat.

cutis quoque præter solitum pellucida fuit, et venæ admodum conspicuæ apparebant, præsertim circa tempora, frontem, et collum; oculi ampli, prominentes, et splendidi fuêre.

De causa hujus morbi proxima, variæ opiniones propositæ sunt: alii enim eam ad rupturam vasorum absorbentium cerebri *, et alii ad causam generalem hydropis †, relegarunt. Morbum autem ex inflammatione pendere, mihi multò verisimiliùs videtur.

DIAGNOSIS.

Maximè interest ut hic morbus, cujus eventus plerumque tam infelix est, ab initio ritè secerneretur ab aliis, quibus confundi potest. Dolendum autem est, nullum esse signum huic morbo adeò proprium, ut eum in primo

* Doctor FOTHERGILL.

† WHYTT, loc. citat.

ejus stadio ex vermibus, dentitione, &c. accuratè discernere possimus: ea autem symptomata, quibus natura mali ab initio in plerisque exemplis innotescat, describere conabor. Ubicunque æger febre lentâ, nullo certo typo insignitâ, corripitur, et quæ non statis intervallis remittit et exasperatur; si vomitus nunc sæpiùs in die, nunc semel tantùm secundâ vel tertiâ quâque die, accedit; et si neque abdomen tumidum, neque partium extremarum macies, nec tussis sicca et molesta adsint, neque nares, labium superius, nec palpebræ inferiores aliquantulùm tumescant, (sicut in vermibus evenire solet *); et alvus, præter solitum torpida, catharticis ægrè movetur, et dolor fixus inter scapulas adest; si æger lucem refugit, de dolore supra oculos vel in vertice capitis conquestus est, qui per plures dies perstiterit; et cùm hæc signa emeticis, catharticis, vel vesicatoriis, peritè administratis,

---

* Gregor. "Conspect. Med. Theoret." de "Remed. Anthel.

non cedunt, et præsertim si ægri manus capiti sæpè admovent;—ratio non deest cur morbi naturam suspicemur. Hoc autem mali tempore hydrocephalum ex vermibus, et ex aliis morbis, quibus infantes opportuni sunt, et inter quos et hoc malum similitudo intercedit, secernere admodum difficile est.

Si æger ex remediis suprà memoratis nil commodi percipit, et pulsus tardus et irregularis evadit, et si eodem tempore calor corporis minimè decrescit, cum pulsu tardiore, aquam in cerebro esse collectam certò ferè statuere possumus, ut medicus sagax monet *. Etsi enim pulsus in vermibus sæpè admodum tardus et inæqualis evadit, cutis tunc frigida fit, et nulla febris adest: contrarium autem in hydrocephalo evenit; calor enim cutis perstat, et febris pristinâ vi urget: convulsiones quoque, quàm in verminatione, multò rariùs adsunt.

* Doctor Quin.

Cùm igitur pulsus tardus et inæqualis, calor febrilis, et sitis; pervigilium, strabismus, visus duplex, et ploratus, signis jam traditis superveniunt, hydrocephalum acutum subesse jure colligere possumus. Denique, cùm hæc subsequuntur coma, pupilla ampliata, luce admotâ immobilis, pulsus frequentior, genæ rubore suffusæ, subsultus tendinum, et fæces et urina insciè elabentes, nullum de natura mali quo tenetur æger, neque de infelici ejus exitu, dubium restabit*.

PROGNOSIS.

Natura et sede hujus morbi, et structurâ delicatâ organi nobilis quod laborat probè perspectis, prognosis in omni exemplo maximè infausta erit.

Whytt se nunquam casum hydrocephali accuratè insigniti ad sanitatem perduxisse,

* Whytt, "Observations," &c.

candidè profitetur: alii autem medici * medicinam in hoc morbo feliciùs adhibuerunt. Omnes tamen eum ferè semper esse lethalem agnoscunt. Doctor GREGORY medicos sæpè de natura morbi decipi, et igitur se hydrocephalum sanâsse falsò statuisse, jure suspicatus est †. Omnibus autem perpensis, hydrocephalum nonnunquam idoneis remediis, peritè adhibitis, sublatum fuisse, colligere fas est.

MEDENDI RATIO.

IN initio hujus mali, cùm natura ejus non planè elucescit, emeticum lene adhibuisse proderit, et cùm alvus ferè pertinaciter astricta est, huic catharticis validioribus subveniendum. *Submurias hydrargyri* vermibus æquè

* QUIN et RUSH.

† Aud. GREG. Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

ac hydrocephalo accommodatus anteponi meretur, et memoriâ semper tenendum est, in hoc morbo dosi solito ampliore opus esse.

Si post hæc adhibita fuêre, morbus nihilominùs perstat, vel etiam ingravescit, et nulla ratio est cur credamus effusionem obtinuisse, ad ea remedia quibus plethoræ capitis occurritur statim confugiendum est: ex signis enim vasa cerebri sanguine nimis turgere perspicuum est. Quibus modis hoc consilium absolvi potest, exponere nunc liceat.

Detractio sanguinis.—Antequam ad hoc remedium decurritur, signorum vehementia, ægri vires et ætas, sedulò sunt perpendenda. Ubi ætas tenera est, Doctor QUIN sanguinem ex brachio detrahere dubitat, quippe debilitatem quæ morbus comitatur non sine periculo adaugeat, et minùs prodest quàm sanguis ex partibus morbo vicinis parciùs detractus. Hinc, in omni exemplo, sanguinem ex temporibus elicere hirudinibus, cucurbitulis vel scarificatione, præponere solet, vel, arteriâ

temporali, vel venâ jugulari incisâ, si commodè fieri potuit.

Medicus alius autem clarus *, detractionem sanguinis ex brachio laudibus multùm effert, et sanè ex casibus quos protulit, in quibus profuisse visa fuit, hoc remedium multùm pollere verisimile est. Ex quatuor ad sex uncias sanguinis ex brachio infantum, qui quartum vel sextum ætatis annum agebant, detraxit; et hoc iteravit, prout opus fuerit. Si signa urgentiora fuêre, quæ sanguinem nimiâ copiâ ad cerebrum deferri ostendunt, ad hoc remedium confugerem; periculum enim quod ex duratione mali imminet, multò magis est timendum, quàm debilitas ex jactura sanguinis forsan subsecutura.

Cathartica in hoc morbo, alvo admodum compressâ ferè stipato, necessaria sunt, et haud

* Doctor Rush, "Med. Inquir. & Observat." vol. ii.

parùm prodesse nonnunquam videntur. *Submurias hydrargyri* meliùs convenit: Quantitas hujus assumenda multùm ex statu ægrotantis pendebit.

Epispastica omnibus medicis usui commendata fuêre, et ut primùm de natura mali certiores facti sumus, totum caput his exulcerandum est: auctor sagax*, hæc per totum mali decursum esse adhibenda, et etiam temporibus et collo imponenda, monet. *Fonticuli* et *Setacea*, nuchæ indita, a nonnullis usurpata fuêre: Cùm autem signa morbi jam supervenerint, citiùs ad finem properat, quàm aliquid boni ex his remediis sperare liceat: caput igitur ope emplastri meloës vesicatorii exulceratum servare, magis è re foret. Aquam frigidam capiti admotam bonos effectus edere ex analogia credemus, et sanè experientia hanc opinionem comprobavit. Doctor RUSH ex propria experientia compertus est, lintea aquâ

* Doctor RUSH.

vel aceto madida, in quibus pauxillum glaciei priùs solutum fuerit, fronti admota dolori capitis sæpè optimè succurrere. Pediluvium, quippe in phrenitide, et febribus anxietate et dolore capitis comitatis, prodesse videtur, nonnulli in hoc quoque morbo in auxilium vocârunt. In secundo autem et tertio stadio, nullo cum beneficio usurpatur, vel potiùs nocere visum est *.

Cùm æger in lecto detinetur, caput quantùm fieri potest, supra reliquum corpus elevatum tenere admonendus est; hoc enim modo impetui, quo sanguis in cerebrum fertur, quodammodo occurritur. Nonnulli hydrargyrum in hoc morbo debellando, tantis viribus pollere quondam habuerunt, ut nomen *specifici* ei ferè imponerent. Huic autem remedio medici hodiè parùm confidunt: quoniam autem vasa absorbentia fortiter stimulat, cùm signa effusionis adsunt, id experiri haud alienum erit.

---

* QUIN, "Treatise," &c.

Hydrargyrus, ore receptus vel frictione adhibitus, copiâ solito majori convenit; admodum enim difficilè est salivam provocare, et medici quidam commoda ex hoc remedio or
iunda, nisi saliva copiosiùs profusa fuerit, non semet ostendere voluerunt.

Diuretica a nonnullis in hoc morbi stadio proposita fuêre; his autem parùm proficitur. *Digitalis purpurea* cæteris non antecellere videtur. An aquam in cerebro collectam, puncturâ unquam educere liceat, ut propositum est, statuere non audeo; et sanè pauci sunt medici qui ad remedium adeò periculosum confugere voluerint.

Doctor Rush opinatur, *cinchonam*, *opium* et *vinum*, in ultimo hujus morbi gradu, cum beneficio adhiberi potuisse, etsi his nunquam usus est. An in omni exemplo hujus morbi, qui medicinæ feliciter cessit, modicum exercitium et frigidarium adhiberi debet, medicorum judicio permittit.

PROPHYLAXIS.

QUONIAM, ne infantes in hunc morbum inciderunt, multò faciliùs est præcavere, quàm eo detentis opem ferre; ne ii quibus inest proclivitas ad hydrocephalum, eo corriperentur assiduè incumbere debemus. Hoc consilio exercitatio modica, diæta lenis, et cathartica subindè, si alvi status his egeat, benè conveniunt.

Cùm dolor capitis sine ulla causa manifesta vexat, vel ægros ad hoc malum esse opportunos suspicamus, hirudines, epispasticæ, vel setacea, capiti sine mora admovenda sunt.

Profluvium sanguinis è naribus hunc morbum sæpè prægreditur, et Doctor QUIN id minimè esse compescendum putat. Huic autem sententiæ, auctoritate utcunque gravi suffultæ, assentire haud possum; fluxum sanguinis po-

tiùs reprimerem, ne subinde revertens plethoram capitis induceret; et malis effectibus qui ex fluxu sanguinis suppresso oriri possent, idoneo diætæ genere, exercitio et hirudinibus, obviam irem.

FINIS